

Die 18 Martii

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI
EPISCOPI ET ECCLESIAE DOCTORIS
Festum

Ant. ad introitum

Ez 34, 11. 23-24

Visitabo oves meas, dicit Dóminus, et suscitabo pastórem
qui pascat eas; ego autem Dóminus ero eis in Deum.

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam,
per beátum Cyrillum episcopum hierosolymítanum,
ad mystéria salútis profúndius attingénda mirábiliter adduxísti,
da nobis, eius intercessióne, Fílium tuum ita agnóscere,
ut vitam abundántius habeámus.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* »

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

5, 1-5

Caríssimi :

Omnis qui credit quóniam Iesus est Christus, ex Deo
natus est, et omnis qui diligit Deum qui génuít diligit et eum
qui natus est ex eo.

In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cum
Deum diligámus et mandáta eius faciámus. Hæc est enim
cáritas Dei, ut mandáta eius servémus; et mandáta eius grá-
via non sunt, quóniam omne quod natum est ex Deo vincit

mundum; et hæc est victória quæ vicit mundum: fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Filius Dei?

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 18, 8.9.10.11 (R.10 b)

R̄. Iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul.

- 1 Lex Dómini immaculáta, reficiens ánimam, testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. R̄.
- 2 Iustitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda, præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. R̄.
- 3 Timor Dómini mundus, pérmanens in saéculum saéculi, iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. R̄.
- 4 Desiderabilia super áurum et lápidem pretiósium multum, et dulcióra super mel et favum stillántem. R̄.

ALLELUIA

Io 15, 9b et 5b

(R̄. Allelúia) V̄. Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum. (R̄. Allelúia.)

EVANGELIUM

« Qui manet in me fert fructum multum. »

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 1-8

In illo témpore:

Dixit Iesus discipulis suis: « Ego sum vitis vera et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non ferentem fructum, tollit eum, et omnem qui fert fructum, purgat eum ut fructum plus áfferat.

Iam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis: manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso nisi mánserit in vite, sic nec vos nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt et ardent.

Si manséritis in me et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluérítis pétite et fiet vobis.

In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis et efficiámini mei discípuli. »

Verbum Dómini.

Super oblata

Illa nos, quaésumus, Dómine, divina tractántes, Spíritus Sanctus fidei luce perfúndat, qua beátum Cyrillum ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.

Per Christum.

Ant. ad communionem

Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Quos Christo réfcis pane vivo, eósdem édoce, Dómine, Christo magístro, ut in festivitáte beáti Cyrilli tuam discant veritátem, et eam in caritáte operéntur.

Per Christum.